

cum quadringentis lectis militibus excubans, omnes hostium conatus maturo occurſu irritos reddere. Oppidum ipsum præaltis erat aggeribus munitum, nullisque ob id tormentorum ictibus magnopere obnoxium; sed turris una fuit, portæ quæ ad Padum ducit, imminens: eam validius concussam in exteriores fossas pene integram procidisse ajunt: qua parte quum Venetus factò impetu in oppidum perrumpere sæpius tentasset, præsidiumque intra munitiones cum cæde compulisset, victa oppidanorum pertinacia, Pisano inscio, deditionem fecere. Ea erectus victoria Venetus Imperator, consilium cepit jungendi Abduam ponte, ut in Mediolanensem agrum copias ex proximo ad populationes & prædam transmitteret: sed comeatuum inopia laborabat, erantque interim ad eam expeditionem necessaria comparanda: iccirco in Casaliniis castris, quoad illa ex propinquo quæsita essent, se tenuit.

Philippus interim, quia armorum ductores, quorum opera utebatur, virtute inter se & rerum gestarum gloria certabant, ita ut neque consilio neque auctoritate tempore ullo, aut loco, sibi cederent, appareretque, ex ea discordia, aliqua insigni clade res suas deformatum iri, nisi intestinæ seditioni mature occurreretur, imperium copiarum omnium Carolo Malatestæ demandavit. Ferunt ea electione non tam strenuitatem quæsitam, quam Imperatoris sapientiam, & familiæ splendorem. Addunt quidam & gratiam, quod Brixienſibus jam inde a Pandulphi principatu charissimus esset: per quem apparebat, illorum civitatem ad defectionem aliquam quandoque impelli posse. Moverat interim ex Casali Venetus. Nec Carolus, recepto imperio, aliquo modo defecit: sed transversis itineribus ducens, omnibus illius conatibus mature occurrere. Demum ad Macclodium (vulgo *Macalum* vocant) Cremonensis agri oppidum, Veneta sunt signa admota. Indigne ferre Philippi duces ac multitudo omnis hostis audaciam: suam Carolique patientiam vehementer incusare: multa esse dicere & in Bergomenſi oppida, & in Cremonensi